

Z. 14. 63^a.

Ad. Bibliotheca
Köpenicker

Gammeldt - H.

G. q. 140.

ACTVM ORATORIVM
IN PAEDAGOGIO BERGENSI

D. V. OCTOB. CIOIO CCLVI. HORA II. POMERID. INSTITVENDVM
INDICENS,

DE IIS,
QVÆ ERVDITIORIBVS
ADOLESCENTIBVS CAVENDA
VIDENTVR,
ITERVM COMMENTATVR

CHRISTIANVS KNAPP, RECT.





MAGDEBVRGI,
LITTERIS IOANNIS CHRISTIANI PANSÆ.

121




ACTVM ORATORVM
IN PAEDAGOGIO BERGENSEI
M. V. OCTOB. CLICIDIAE HERZ. H. TORND. INSTITVTVM
INDIGENS
DE HIS
QVAE ERNDITORIBVS
ADOLESCENTIBVS CAVENDA
VIDENTVR
HABVM COMMENTARIVS
CHRISTIANVS TIBUR. MD.





§. I.

 Ante hos sex menses vitia quædam ab eruditoribus adolescentibus in ipsis litterarum studiis tractandis cauenda exposui: nunc ea edisseram, quæ sæpe in animi habitu atque in moribus vitiosa deprehenduntur, quæque vel vitare vel emendare omnium vere studiosorum adolescentium mirum quantum interest.

Quantum animi virtus morumque compositio ingenii aciei amplissimæque rerum scientiæ præstat, tanto grauiora sunt mentis prauæ ac peruersæ vitia vitiis doctrinæ ac scientiæ: & quum vix satis acuti esse possimus ad doctrinæ fallacias detegendas, multo maior cura adhibenda est ad inuestigandas arguendasque leuis ac peruersi animi prauitates.

Non est, quod quisquam putet, qui præclaras artes discant in iisque multum proficiant, eos gratuitam quasi virtutis animi morumque accessionem habere vel de eadem fidelia

duos parietes dealbare. Quam felix esset res publica, si virtus vna cum rerum scientia cresceret! Sed nihil minus vsu venire videmus: quamuis enim rerum scientia multa vulgi vitia abstergere soleat in plerisque rei publicæ literariæ civibus, mentirer, si in omnibus dicerem; tamen tot propriis ipsa eruditio vitiis laborat animum moresque insipientibus, vt, qui ab iis liber esse velit, eum valde cautum ac circumspectum esse oporteat. Quæ vitia quia in adolescentibus feliciter litteras tractantibus maxime cernuntur, ad horum præcipue rationes hanc meam commentationem dirigam, grauitè testans, me non increpantis sed amanter monentis & quantum possim bene meritori animo hæc scribere.

§. II.

Permulta sunt eruditorum hominum vitia quasi domestica, quæ, aucta doctrina, facile possunt ingrauescere, nisi diligenter cauetur. Mos fere omnium eruditionis temporum ita tulit, vt doctrinæ alumni in vna ingenii cultura omnia posita putarent, nec mentis emendandæ nec morum componendorum rationem habentes. A maioribus ita traditum est, hoc maxime hominem bestiis præstare, quod sit diuinis ingenii facultatibus & sermone, rationis instrumento, ornatus: id sæpe audiuius, id legimus, id ex dictatis referimus omniaque nobis de hominis dignitate prædicasse videmur, quæ in ea laudari possint. Quamuis autem humani ingenii laus verissima sit & insigniter magna, tamen aliquid vitiosi in ista sententia inesse eaque erroribus non leuibus ianua patefieri videtur. Profanæ philosophiæ propaginem iure eam dixerim. Naturales enim isti philosophi multa de virtutibus variis balbutientes & sæpe gloriose ostentantes, quod fatendum est, ipsam interiorem animi virtutem altasque ac veras eius radices nec sciebant nec in se sentiebant: at aliquam tamen, ratione prælu-

pralucente, virtutis speciem cernentes eam totam praterire philosophando non poterant; itaque de ea disputabant, vt eam totam ex suo hebeti ingenio & ex languida sua rerum cognitione petitam ipsius ingenii humani ac scientiæ laudibus atque admiratione rursus obscurarent atque obruerent. Ex huiusmodi superstitiosa ingenii ac scientiæ admiratione quænam sana præcepta ad emendandum hominem perficiendumque proficisci poterant? Et nos iisdem opinionibus inhærentes quid studio nos perficendi proficiemus? Solam ignorantiam in vicio ponentes vel alia nulla in nobis vitia suspicabimur, vel si quædam sint in nobis insigniora, non curabimus, itemque vna eruditionis virtute gaudentes de aliis iisque longe verioribus virtutibus & quarum vsus est vel maximus, non cogitabimus; nihil præter scientiam magni faciemus: quumque per eam quasi ad diuinitatem quamdam nobis euecti videbimur, animum non attendemus, quibus vitiis & sæpe sceleribus irretiti teneamur, & quibus quamque necessariis ac præclaris virtutibus careamus, ideoque nec illa deponere nec has quarere earumque compotes fieri poterimus. Qui igitur ad veram sui perfectionem adspirant & qui hunc sibi omnium studiorum laborumque suorum finem proposuisse videri volunt, iis ab huius fallacis opinionis fraude maximopere cauendum est, ne vni ingenio dediti mentem, cuius maxima est in homine dignitas, & mores externos, boni animi insignia, negligant & fere obliuiscantur, eoque, quod ingeniolum tergunt ac poliunt, plus quam dimidiam sui partem rudem atque incultam relinquunt, quo nihil potest esse imperfectius, nihil deformius.

§. III.

Animi habitum & quodammodo etiam morum externorum rationem in ipsa disciplinarum studia vsu se fundere pauci

cogitant, quamvis hæc animi ac studiorum coniunctio sit gravissimi momenti. Quemadmodum animus recte compositus, tranquillus & veri honestique studiosus, litterarum studia mirifice maturat & ad præclarissima quæque dirigit, sic mala & conturbata mens multa & sæpe insuperabilia impedimenta iisdem doctrinæ studiis obicit. Videmus hominem sedato ac recto animo utentem omnia sua studia iusta via & bono ordine tractare, errorum inuitamenta contemnere, rerum omnium veram vim ac naturam æquo animo scrutari & cognoscere atque omnino maximo cum successu fructuque in litteris versari; e contrario autem turbulentum, libidinosum, cupiditatibus deditum, inconstantia animi sæpe interpellari & a studiis auocari, confuse multa tractare, falsis multis genio suo blandientibus temere assentiri iisque se totum dare, arbitrato suo magis quam incorrupto iudicio niti, cupiditatibus contraria, quamvis vera, vel insolenter prætermittere vel in dubium vocare vel ad pravas voluntatis inclinationes detorque.

In quorum igitur animis nulla vera virtus est sed cupiditates leuissimæ turpissimæque dominantur, quomodo ii rite ac iuste in rerum variarum cognitione consequenda elaborabunt? quomodo per inimicitias, vitioso animo cum gravissimis veritatum generibus susceptas, ipsis licebit a iucundis erroribus assensum cohibere & acerbis at veras sententias probare atque amplecti? Ipsa rationis humanæ natura ita fert, ut sine voluntatum nostrarum suffragiis ingenio vix quidquam recte succedat: & ut plane dicam, suis quisque sensibus, si attendat, id percipit.

Quæ quum ita sint, quid est, quod dubitemus eos gravissimi erroris accusare, qui omnia, quæcumque sint, sine animi virtute facile comprehendi posse putant? cur non eos, qui

qui bonarum rerum doctrinam vere amant, ab hoc nocentissimo errore reuocemus? cur non ipsis animi correctionem ac virtutem hanc etiam ob causam commendemus, quod ea opportuna sit ingenuorum studiorum adiutrix?

§. IV.

In ipsa vitiorum tyrannide, quorum dominatu homines premuntur, non omnis virtuti auctoritas detracta est. Sciunt plerique, eam maximum esse humanitatis ornamentum, nec viui recte inter mortales posse sine virtutis praesidio: idque eruditi eo clarius perspiciunt, quo magis rerum humanarum condiciones causasque inuestigant. Itaque concludunt, se ea neque ad ornamentum neque ad vtilitatem plane superfedere posse: quum autem eam non admodum ament, diuortium quasi inter linguam de virtute loquentem & animum legitimum virtutis domicilium faciunt, & quo pertinacius aditum virtuti ad cor intercludunt, eo liberalius os aperiunt ad eam laudandam praedicandamque, quod quidem sine vlllo prauae mentis incommodo sed non sine gloria faciunt. Hac infelici consuetudine altera apud eos quasi natura efficitur, vt semper & quouis loco illusterrimas virtutis laudes expromere possint, animo quidem prorsus immoto ac frigente, & vt ne erubescant quidem, si quando accidit, vt eius laudes in ore habentes vitia ipsi contraria committant. Huius consuetudinis insolentia ita manifesta est, vt ipsa plebs rudis eam facile noter atque indignetur. Certe nullum hominum genus facilius in hoc vitium incidit, quam eruditi, in quorum caetibus ac disputationibus fere quotidie virtutis fit mentio, quum magna pars scientiae humanae & ea quidem pulcherrima in virtutum disciplina versetur: quod autem saepe in ore habemus, de eo frigide & alieno animo differere facile adsuescimus. Quod ne nobis in
hac

hac omnium grauissima causa accidat, sollicite cauendum est totusque animus ad ea, quæ de bonis ac honestis sententiis differimus, semper attendendus.

§. V.

Idem præcipiendum est de quotidiana auditione & lectione rerum optimarum, quum virtutem & per se & in magnorum virorum factis laudatam cognoscimus. Qua in re duobus fere modis peccari solet, vel si legentes atque audientes egregias illas res ita præteruolare patiuntur, vt eas ne percipere & intelligere quidem curent, vel si vana & arroganti earum admiratione contenti & sæpe inepte inflati eas ad suum animum suasque rationes plane non referunt nullumque ex iis fructum capiunt præter leuam aliquam voluptatem. Hi plerumque notionem boni ac recti animo conceptam ad studium eius ac possessionem æquiparant, seque virtutem habere etiam putant, quam vix per caliginem animo cernunt. Virtutis præcepta & exempla magni æstimant & cara habent, sed neque amant neque amplectuntur. Quod si magnam in litterarum monumentis obuiam præstantissimarum rerum copiam & emolumenta, quæ in iis sunt, maxima consideramus, iure dolemus, tam paucos ex tanto studiosorum numero illam rerum vbertatem capere eaque animum & mores exornare.

§. VI.

Multi litterarum studiosi, ætate, ratione & eruditione prouectiores, adumbrata quadam virtutis specie falluntur, cuius virtutis mirificum amorem sibi temere tribuunt, quum tamen nondum satis perspiciant, quæ sit veræ virtutis vis & conditio, quamque mobilis ac dolosa ipsorum natura. Huic igitur bonæ de se honestisque suis consiliis opinioni secure fidentes nullas nec domesticorum nec externorum virtutis hostium

hostium insidias timent, familiaribus suis vitiis, quibus quasdam simulationis ac modestiæ leges præscripserunt, dant pacem virtutumque consequendarum studium prorsus remittunt, nihil sibi tam bonis, tam honestis hominibus deesse putantes. Quum autem ea virtus, quam animo informarunt, valde sit exilis, quumque nec vitiorum iugum vniquam excusserint, nec totum ac sincerum animum veræ virtuti possidendum, regendum mutandumque tradiderint; fit plerumque, vt temporibus paullum mutatis & remotis iis, quæ peccandi libidini sunt impedimento, pulchram, quam tulerant, personam deponant & carissimis vitiis denuo studiosissime seruiant. Illi igitur, qui recte sapere suamque perniciem præuertere volunt, sciant ac probe teneant, debilem eiusmodi atque imbecillam virtutem contra vitiorum animum laceffentium impetum non consistere, & vbi aliqua vel aperta vel occulta vitia tolerantur, ibi a reliquorum vitiorum fraude nihil satis tutum esse.

§. VII.

Quum inter adolescentiæ litterarum studiis deditos multi inueniantur, in primis bono ac honesto animo, pudore, modestia ac pietate singulari, mansuetis ac iucundis moribus, omnium de iuuentutis ornamentis vere iudicantium gratiam demerentes & spem de se maximam facientes, de his separatim dicendum est. Nescio quibus satis dignis laudibus eos efferam, qui eiusmodi pueros & adolescentes educarunt tenerosque eorum animos ita liberaliter ac honeste formarunt: sed hoc profiteor, ita institutos adolescentes præclara esse virtutis ac sapientiæ eorum monumenta, quorum institutione inde ab incunabulis vsi sunt. Optandum est, vel vt boni illi adolescentes decepticem vitiorum publicorum speciem numquam videant, vel vt animum ad ea semper auersanda ac repellenda

B

pellenda

pellenda satis confirmatum in publicum prodeuntes afferant. Sed qui multos huius generis adolescentes norunt, illi sciunt, quam facile quidam a virtute desciscant, ubi ex pueris excefferint & in celebriores societates venerint. Optima pietatis ac rationis principia, quibus imbuti sunt, pro malis opinionibus, noue auditis lectisque, summutant, temerariis sententiis, quas concoquere nequeunt, integram adhuc mentis sanitatem labefactant & sensim totum animum ita corrumpunt, ut toti alii videantur, ac antea habiti fuerant: quos paullo ante honestissimos multi admirabantur, hos iam animo & moribus turpes horrent; quorum rectum ac simplicem animum adamabant, eorum animo tortuoso & calamistrato iam offenduntur; in quorum virtute, fiduciam maximam habentes, acquiescebant, ab eorum improbitate vix vnumquam satis securi esse possunt. Non perspicio, qui virtus vitio tam cito cedere possit, nisi antea occultus fons mali in iis latuerit & ipsi voluptati, quam ex prauis sententiis atque exemplis percipiebant, scientes ac volentes indulserint.

Quum isti adolescentes præclare educati, liberaliter animati & eleganter morati, quorum pericula exposui, magnopere sint amabiles & præ ceteris cura nostra consiliisque nostris digni, vehementer eos obsecramus, ut ab illa calamitosa status sui corruptione ac deprauatione sibi diligentissime caveant, ut nulla vitiorum semina animis insita foueant, sed ea potius ex abditis animi latebris eruant eiciantque, & ut veram virtutem nunquam satis cognosci, nunquam satis amari, nunquam satis anquiri, comprehendi, exerceri posse arbitrentur.

§. VIII.

Nimis longum est, omnia vel pleraque referre, quæ in studiosorum adolescentium animi habitu ac moribus praua
sape,

sæpe, turpia atque odiosa deprehenduntur: pauca quædam tantum exempli causâ exponam.

Quamuis doctum hominem nihil magis deceat quam modestia, tamen ipsius doctrinæ opinio ineptissimam sæpe superbiam parit. Studiosi adolescentes, in litteris aliquamdiu versati, quum suarum ingenii facultatum sibi magis magisque consciï sunt seque doctiores euadere sentiunt, nimis sibi placere, maiores spiritus sumere ac supercilium tollere solent, & quo quisque natura ad superbiam procliuor est, eo minus in sui æstimatione scit modum tenere.

Ignari antea rerum fere omnium & imperiti, iam multarum rerum variarumque cognitione repleti, tantam suam sapientiam mirantur & superioris suæ ignorantie magnique laboris eorum, a quibus eruditi sunt, obliti, omnem hanc suam scientiam, quam mirifice exaggerant, ex se natam ac diuini sui ingenii fructum esse opinantur: alios æque doctos vel doctiores etiam, sed forte modestius de se sentientes doctrinamque suam minus ostentantes, præ se contemnunt atque adunco naso suspendunt, eoque quod se ipsi nimis magni faciunt summamque sui apud omnes admirationem imaginantur, in omnium indignationem & contemptum incurrunt.

§. IX.

Cum hoc superbiæ vitio multa alia coniuncta sunt, impatientia admonitionum, obsequii detrectatio, legum odium, fastidiosa quædam morum asperitas, in officiis plerisque negligentia. Nihil homini, præsertim adolescenti, magis necessarium est, nihil utilius ac salubrius, quam vitiis reprehensio & quotidiana admonitio. Nemo est, quem non multa vitiosa atque indecora circumdederint, quæ ipsi illi, qui ea habent, non facile animaduertunt, nisi ab aliis ipsos obseruantibus

moneantur. Hoc maximo beneficio illi se priuant, qui vel fugiunt bonas admonitiones, vel respuunt: & qui ipsis hoc officium præstare possunt, ista eorum impatientia a liberali suo illo studio deterrentur ac desistunt, omnem suam operam irritam cernentes. O! miseros eiusmodi homines, suæ vitiofitati relictos! quos reprehensionis & obiurgationis pudet, hos non pudet ipsorum vitiorum, miserabiliter deformium; & qui leuem curationis vitiorum dolorem horrent, hi letali vitiorum peste non mouentur.

Sine legibus nulla res publica stare & nemo tranquille ac beate viuere potest: leges autem nihil valent, nisi sint, qui eas tueantur & explicent. Id superbis illis non probatur, qui leges sibi, tam bonis, tam sapientibus hominibus, superuacaneas, moderatores, qui eas seruari iubent, molestos, & obsequium, tum illis tum his præstandum, persona sua plane indignum ducunt. Quo quidem errore impediti maximis commodis non fruuntur, ex iuris æquabilis obseruatione proficiscuntibus; sed e contrario gratia omnium, quibuscum viuunt, amissa animum sibi inquietum vitamque valde amaram reddunt.

Quemadmodum modestia animi, ad obsequia debita parati, mores fingit mansuetos ac mites, sic superbia obedientiam abiiciens eosdem exasperat, ineptiis multis adspersit & valde iniucundos reddit. Quod idem de aliis in animo dominantibus vitiis dicendum est, quæ, quum animum perpetuo agitent, externam hominis speciem ac mores ita torquent ac formant, vt in iis expressa vitiorum ipsorum imago appareat, quæ deinde, tamquam iniustus prauitatis character, ipsis etiam vitiis sæpe aut depositis aut cœrcitis, vix ac ne vix quidem deleri potest. Multa etiam necessaria vitæ officia superbitum

tum difficilia existunt tum contemnenda esse videntur, quum ea vel persona sua indigna vel nimis leuia falso putent. Ex quo necesse est varia & quidem non leuia ipsis mala nasci.

§. X.

Facile possumus animadvertere, adolescentes & aetate & eruditione paullo superiores, quum cultui & moribus externis sibi fingendis intentius studere incipiunt, saepe mala & inhonesta exempla ad imitandum eligere ex iisque ineptissimam decori ac pulchri ideam sibi formare. Nullos mores in cultu aliisque rebus magis probare solent atque admirari, quam eos, quibus vani, libidinosi ac proterui homines insigniti esse volunt, valde iis quidem indecoris & agrestibus. Hos si imitando expresserint, tunc oculos & ora omnium in se conuersum, tunc praecipuam suam artem, bellissime & festiuissime se gerendi, ab omnibus obseruatum & collaudatum iri sperant. Cum summa igitur delectatione & gestiente gaudio eos intuentur, quos abhorrere debent; alios autem honestius moratos contemnunt moresque eorum modestius temperatos eam ob causam, quod nihil habent insolens, nimis putant esse simplices. Ita fit, vt, quum ad politicissimi & moderatissimi cuiusque exemplum suos ipsi mores componere & possint & debeant, non modo nihil discant, quod vere pulchrum ac suaue sit, sed potius multa indecora, quae in aliis imprudentissime admirantur, suis moribus adsciscant. Adolescentes ceteroqui non malos & satis honestos saepe videre licet, ista ratione non parum deformatos, qui, si veram decori & pulchri formam cognoscere & omnia, quae ad mores pertinent, ad rationis & honestatis leges exigere voluissent, multo elegantiores & commendatiores exstitissent.

§. XI.

Nihil vera humanitate ac sapientia dignius, nihil amabilius, nihil magis unicuique decorum dici & excogitari potest, quam & interior Dei rerumque diuinarum sensus & externa animi Deum intente venerantis & subacti indicia. Dei cognitio vigens animumque mouens est quasi sol omnis humanæ scientiæ, & studiosa ac decens flagrantis erga Deum pietatis demonstratio ornatus vitæ morumque amplissimus pulcherimusque. Quum inter eas res omnes, quas cognoscimus, Deus primum locum certe obtineat, & quum, quo grauior quæque res est, quam scimus, eo magis illius scientia gloriari soleamus, cur non veræ ac vitæ Dei cognitioni studeamus eamque, quocumque modo id fieri potest, præ nobis feramus? Sed quid studiosis adolescentibus sollempne magis est, quam totius animi a Deo rebusque religiosis fere omnibus defectio & externorum religionis officiorum atrox atque ab ipsa humanitate damnata repudiatio? Bone Deus! adeone ratio hominum, dux ipsis ad optima quæque data, delirare, immo furere potest, vt ad inanissima & perniciosissima quæque ipsos ducat, vbi autem in verissimas, honorificentissimas ac saluberrimas res inducendi sunt, ibi eos plane deserat? Non sane video, quomodo id cum sana ratione constare possit, si qui, in rebus turpissimis consecrandis perficiendisque impudentissimi, a Deo, qui se nobis fruendum offert, amplectendo & ab eius cultu, nobis ipsis honorifico, se pudore retrahi patiuntur. Pudet eos ipsos suæ excellentiæ, quæ in eo posita est, quod Deum, quem nullum aliud in terris animal nouit, ipsi præsentissimum sentire, colere eiusque consuetudine frui possunt. Quid ineptius? testor ipsum communem rationis sensum: quid insanius fingi potest? His, quos Dei omnino pudet, non sapientiores illi existimandi sunt, qui non modo

impe-

imperium sed ne nomen quidem Christi ferre possunt, quorum magnus est inter eruditos numerus. Deum nosse volunt, Christum nolunt, non considerantes, verum Deum, nisi cum Christo & per Christum, rite cognosci, coli nobisque propitium esse nec posse nec velle, sacris auctoritatibus, quas ipsi, ni fallor, non improbant, id grauissime docentibus.

§. XII.

Video contrahenda mihi esse huius commentationis vela, ne in re minus grata nimis longe prouehar. Hæc pauca, quæ exposui, eos, qui vera non fugiunt, ignorare non patientur, quale sit totum genus huiusmodi vitiorum, quamque graues causas ea vel vitandi vel corrigendi habeant. Sed qua ratione vitabunt ea & corrigent? disputando secum? consilia ineundo? pollicendo & sibi & aliis amice monentibus? At hoc multi saepe fecerunt, quos nihil tamen profecisse scimus. Recte ergo concludimus, fraudem aliquam istis sibi consulendi rationibus subesse. Sibi scilicet persuaferunt, se sui iuris esse & pro sua tantum dignitate ac fama, perficiendo se, laborare debere, atque in se etiam satis opis ac praesidii inesse ad omnia animi vitia vincenda. Quæ quidem opiniones veræ emendationi valde obsunt, tum quod prorsus falsæ sunt neque quidquam ad id, quod quaritur, afferre possunt, tum quod ipsæ in impietate ac vitio vel maximo versantur, tum etiam quod Dei, veri hominum correctoris, opem & auxilium in emendandis vitiis excludunt.

Si peccatores sunt illi, qui se vitiis polluunt, iure hi perduelles habentur, qui Deum, malorum nostrorum liberationem per Christum pollicentem, non audiunt eique animum atque obsequium negant, vt sibi ipsi viuant sibi que quasi sint Dii. Hæc est vera causa perpetuæ seruitutis, qua multos, quam-

quamuis saepe sub iugo gementes, a vitorum turba oppressos teneri videmus. Nemo profecto hoc iugum vumquam excutiet, nemo verae virtutis compos fiet, nisi qui in Christi fidem & clientelam se contulerit, eiusque opem supplex implorauerit.

§. XIII.

Septem adolescentes ex primo ordine discessum suum publicis orationibus sollempnem facturi sunt:

- LEVIN. WILH. HVEBNER, Mesomarch.
 GOTTHILF BENIAMIN STVRM, Variscus.
 CAROLVS GOTTLIEB PIESCHEL, Magdeb.
 AVGVSTVS FRID. DOHLHOFF, Magdeb.
 CAROLVS FRANCISCVS L. B. DE GOLTZ,
 Berolin.
 MARQVARD. DE BROEMBSEN, eques Schlesuic.
 IO. MARTINVS FRID. REICHE, Magdeburg.

Hi carissimi ciues nostri, egregiis ingenii facultatibus a natura ornati, plurimum studii, operæ ac diligentia ad liberalium artium doctrinam contulerunt & progressus in litterarum studiis non contemnendos fecerunt, atque etiam ob eam causam laudandi sunt, quod, pro sua quisque virtute, vitæ rationem moresque suos nobis probare diligenter studuerunt.

Quum ipsorum causa vehementer cupiamus, Deum suppliciter precamur, ut iam eis locum mutantibus ostendat, quot & quantis bonis, a diuina clementia in hac ciuitate in ipsos profectis, ornati quamque amplis beneficiis humani generis principi ac seruatori obstructi sint, eosque perpellat, ut Christo, cuius beneficii sunt, quanti quanti sunt, se totos dedant

dant ad eiusque sapientissimam disciplinam totum animum omnemque vitam conforment.

§. XIV.

IOACH. CHRISTOPH. BRACKE, Magdeb. historiam sacram V. T. Christianæ veritatis documentum esse probabit, germ.

IO. MARTINVS FRID. REICHE de Israëlitis opportunissimo tempore ex Ægypto eductis dicet, lat.

ERNESTVS LVDOV. REVSCHÉ, Magdeb.

IO. LEONHARD. CALLISEN, Holfat.

CAROL. ERN. SIGISM. VALAND, Halberst. &

FRID. AVGVSTVS GRONE, Magdeb. absurdissima Ægyptiorum, sapientissimi populi, idololatria exposita, docebunt, ne prudentissimos quidem a stolidissimis erroribus rutos esse, germ.

IO. FRIDER. LVDOV. SCHROETER, Magdeb. lucem columnarem & nubem, signa Israëlitarum agmini diuinitus sublata, canet, germ.

GOTTHILF BENIAM. STVRM transiti maris rubri miraculum probabit, carm. germ.

AVGVSTVS FRID. DOHLHOFF terribilem & maiestatis plenam diuinæ legis promulgationem causasque illius sapientissimas explanabit, carm. lat.

C

MAR.

MARQVARDVS DE BROEMBSEN genus Messiaë
per leges & cærimonias a barbararum gentium collu-
uione prohibitum docebit, gall.

IO. GOTTLIEB GERHARD, Siles.

IO. GOTTHILF FRITZE, Magdeb. &

IO. HENR. DAVID VHL, Mesomarch. influxum aëris in
grauitatem solidorum specificam experimento demon-
strabunt, germ.

IO. CHRISTIAN. FRID. CALETZKY, Serueft.

IO. GOTTF. CAROL. BVCHHOLTZ, Postamp.

FRID. WILHELMVS DE SCHVLENBVRG,
eques Magdeb. &

FRID. OTTO GVSTAV. DE KLEIST, eques Pa-
læomarch. de mirabili Israëlitarum in desertissimis regio-
nibus peregrinantium sustentatione differet, gall.

CAROLVS GOTTLIEB PIESCHEL Deum in-
dulgenter & salutariter Israëlitas castigantem admirabi-
tur, ital.

CAROLVS FRANCISCVS L. B. DE GOLTZ,
stragem per Amorraorum legiones, grandine diuinitus
immissa, datam canet, germ.

IOACH. ERNEST. CHRISTIAN. SCHVLTZE,
Megalopol.

CAROLVS TIMOTH. ALTHOFF, Westphal.

CHRI.

CHRISTIANVS SCHRADER, Magdeb. &
GOTTFRIED EISENHART, Mesomarch. de natura
grandinis disputabunt, germ.

IO. ADOLPHVS IACOBI, Megalopol.

IO. DAVID KOEPPE, Magdeb.

PHIL. ERICVS NEUBAVER, Mansfeld. &

IO. MICHAEL LAVRENTIVS, Megalopol. aëris
elasticitatem ad pondera sustollenda applicabunt, expe-
rimentum capientes, germ.

LEVINVS WILH. HVEBNER, ex obtutu vulnera-
torum in serpentem æneum fixo piæ ac salutaris Christia-
norum fiducia specimen capiendum esse docebit & dis-
cedentium nomine Bergam valere iubebit, carm. germ.

CAROLVS PHILIPPVS KVHN, Magdeb. sacras
historias diuinæ sollertix & clementiæ illustrissimas nun-
cias ac testes esse eamque ob causam diligentissime ac
pio animo lætitandas confirmabit & discedentibus re-
spondebit, germ.

Quicumque humanitatis studiis fauent, eos etiam atque
etiam rogamus, vt ea, qua solent, beneuolentia huic di-
cendi exercitationi interesse velint.

P. P. Bergæ, iv. Non. Octobr. A. C. cIo Io cclvi.

Arie 1.

Wenn ich ohne Schuß und Licht,
Als ein Ziel für tausend Pfeile,
Einsam durch die Gräber eile;
Dann, mein Hirt! verlaß mich nicht,
Laß dein Auge, mich zu schützen,
Blut und Flammen um mich blitzen;
Bis dein Tag in vollem Licht
Meine Furcht zufrieden spricht.

Arie 2.

Die liebe webt mir Kleid und Decken,
Von ihr fällt mir mein Manna zu,
Ich darf vergnügt aufs Moos mich strecken,
Ihr Auge wacht für meine Ruh.
Mein ist ihr Weinstock, ihre Heerde,
Mein ist ihr Himmel, ihre Erde.
Beglücktes Herz! wie reich bist du!

Arie 3.

Ihr drohenden Himmel! verkündigt den Spöttern
Die schreckliche Rache der ewigen Nacht:
Ihr Zorn rauscht gewaltig in hangenden Wettern,
Und rüstet die muthigen Donner zur Schlacht.
Ihr Sturm hat die Thore des Todes entriegelt,
Und Schlossen und Blitze mit Allmacht beflügelt:
Die Stimme des Ewigen hauer mit Nacht,
Des Trozes rebellische Stirn zu zerschmettern.

Arie 4.

Grübler! sucht in dunkler Ferne,
Mit dem Sehrohr in der Hand,
In der Laufbahn fremder Sterne,
Labyrinth von Verstand.
Forsch ich in der Weisheit Lichte,
Wie ihr Rath die Völker richte;
So vermist die Einfalt gerne,
Was die Einbildung erfand.
Hier ist Weisheit! hier Verstand!




AB: 153702




sb.

VO 17







*ACTVM ORATORIVM
IN PAEDAGOGIO BERGENSI*
D. V. OCTOB. CIOIO CCLVI. HORA II. POMERID. INSTITVENDVM
INDICENS,
*DE IIS,
QVÆ ERVDITIORIBVS
ADOLESCENTIBVS CAVENDA
VIDENTVR,*
ITERVM COMMENTATVR

CHRISTIANVS KNAPP, RECT.



MAGDEBVRGI,
LITTERIS IOANNIS CHRISTIANI PANSÆ.

121